

somnus; at ex eo ipso plurimæ curæ metusque nascuntur. Qui quidem ipsi per se minus valent, et magis contemnerentur, nisi somniorum patrocinium philosophi suscepissent, nec ii quidem contentissimi, sed in primis acuti, et consequentia, et repugnantia videntes; qui prope jam absoluti et perfecti putantur. Quorum licentiæ nisi Carneades restitisset, haud scio, an soli jam philosophi judicarentur. Cum quibus omnis fere nobis disceptatio contentioque est, non quod eos maxime contemnamus; sed quod videntur acutissime sententias suas prudentissimeque defendere. Quum autem proprium sit Academiæ, iudicium suum nullum interponere; ea probare, quæ simillima veri videantur; conferre causas, et quid in quamque sententiam dici possit, expromere; nulla adhibita sua auctoritate, iudicium audientium relinquere integrum ac liberum: tenebimus hanc consuetudinem a Socrate traditam; eaque inter nos, si tibi, Quinte frater, placebit, quam sæpissime utemur.

Mihi vero, inquit ille, nihil potest esse jucundius. Quæ quum essent dicta, surreximus.

M. T. CICERONIS

DE FATO

LIBER SINGULARIS.

Deest principium.

I.... QUIA pertinet ad mores, quod ἦθος illi vocant, nos eam partem philosophiæ, de moribus appellare solemus; sed decet augentem linguam Latinam, nominare moralem. Explicandaque vis est, ratioque enuntiationum, quæ Græci ἀξιώματα vocant: quæ de re futura quum aliquid dicunt, deque eo, quod possit fieri, aut non possit, quam vim habeant, obscura quæstio est; quam περὶ δυνάτων philosophi appellant; totaque est ¹ logicæ, quam rationem disserendi voco.

Quod autem in aliis libris feci, qui sunt de Natura deorum, itemque in iis; quos de Divinatione edidi, ut in utramque partem perpetua explicaretur oratio, quo facilius id a quoque probaretur,

¹ Vulg. logicæ. Ernest. e primis edd. restituit logicæ. Bremi, in ed. Lips. 1795, maluit λογική, quod jam ante Ernest. damnaverat.

quod cuique maxime probabile videretur, id in hac disputatione de Fato, casus quidam, ne facerem, impedivit. Nam quum essem in Puteolano, Hirtiusque noster, consul designatus, iisdem in locis, vir nobis amicissimus, et iis studiis, in quibus nos a pueritia vicimus, deditus: multum una eramus; maxime nos quidem exquirentes ea consilia, quae ad pacem, et ad concordiam civium pertinerent. Quum enim omnes post interitum Cæsaris novarum perturbationum causæ quæri viderentur, hisque esse occurrendum putaremus: omnis fere nostra in iis deliberationibus consumebatur oratio; idque et sæpe alias, et quodam liberiore, quam solebat, et magis vacuo ab interventoribus die, quum ille ad me venisset, primo illa, quæ erant quotidiana, et quasi legitima nobis, de pace, et de otio.

II. Quibus actis, Quid ergo? inquit ille, quoniam oratorias exercitationes non tu quidem, ut spero, reliquisti, sed certe philosophiam illis anteposuisti, possumne aliquid audire? — Tu vero, inquam, vel audire, vel dicere. Nec enim (quod recte existimas) oratoria illa studia deserui, quibus etiam te incendi, quanquam flagrantissimum, acceperam; nec ea, quæ nunc tracto, minuunt, sed augment potius illam facultatem. Nam cum hoc genere philosophiæ, quod nos sequimur, magnam habet ora-

tor societatem. Subtilitatem enim ab academia mutuatur, et ei vicissim reddit ubertatem orationis, et ornamenta dicendi. Quamobrem, inquam, quoniam utriusque studii nostra possessio est, hodie, utro frui malis, optio sit tua. — Tum Hirtius, Gratissimum, inquit, et tuorum omnium simile. Nihil enim unquam abnuvit meo studio voluntas tua. Sed quoniam rhetorica mihi ¹ nostra sat nota, teque in iis et audivimus sæpe, et audiemus, atque hanc academicorum contra propositum disputandi consuetudinem indicant te suscepisse Tusculanæ disputationes; ponere aliquid, ad quod audiam, si tibi non est molestum, volo. — An mihi, inquam, potest quidquam esse molestum, quod tibi gratum futurum sit? Sed ita audies, ut Romanum hominem, ut timide ingredientem ad hoc genus disputandi, ut longo intervallo hæc studia repetentem. — Ita, inquit, audiam te disputantem, ut ea lego, quæ scripsisti. ² Proinde ordire. ***

¹ *Brem. e mss. edidit, vestra sunt nota.* ² *Aliquid etiam deesse puto inter scripsisti et Proinde. Hic misere mutili sunt fere omnes mss. In margine cujusdam codicis, cujus excerpta sunt in ed. Lambini, scriptum fuit: Ille deest pagina*

Multa hic desunt.

III.... ¹ Consideramus hic **: quorum in aliis, ut in Antipatro poeta, ut in brumali die natis, ut in simul ægotantibus fratribus, ut in urina, ut in unguibus, ut in reliquis ejusmodi, naturæ contagio valet; quam ego non tollo; vis est nulla fatalis: in aliis autem fortuita quædam esse possunt, ut in illo naufrago, ut in Icadio, ut in Daphita. Quædam etiam Posidonius (pace magistri dixerim) comminisci videtur. ² Sunt, inquam, quidem absurda. Quid enim? si Daphite fatum fuit de equo cadere, atque ita perire; ex hocne equo, qui, quum equus non esset, nomen habebat alienum? Aut Philippus hæc in capulo quadrigulas vitare monebatur? quasi vero capulo sit occisus. ³ Quil autem magnum, et naufragum illum sine nomine in rivo esse lapsum? quanquam huic quidem hic scribit prædictum, in aqua esse pereundum. Ne hercule Icadii quidem prædonis video fatum ullum. Nihil enim scribit ei prædictum. Quid mirum igitur, ex spelunca saxum in crura ejus incidisse? Puto

¹ *Al. mss. habent, Consideramus hic. Omnia incerta.*
² *Al. Sunt quidem, inquam, absurda. Forte et hic legend. quædam.* ³ *Wolf. emendat, Quid autem magnum est, naufr.*

enim, etiam si Icadius tum in spelunca non fuisset, saxum tamen illud casurum fuisse. Nam aut nihil est omnino fortuitum, aut hoc ipsum potuit evenire fortuna. Quæro igitur (atque hoc late patebit), si fati omnino nullum nomen, nulla natura, nulla vis esset; et forte, temere, casu, aut pleaque fierent, aut omnia: num aliter, ac nunc eveniunt, evenirent? Quid ergo attinet inculcare fatum, quum sine fato ratio omnium rerum ad naturam, fortunamve referatur?

IV. Sed Posidonium, sicut æquum est, cum bona gratia dimittamus; ad Chryssippi laqueos revertamur. Cui primum quidem de ipsa rerum contagione respondeamus; reliqua postea persequemur. Inter locorum naturas quantum intersit, videmus: alios esse salubres, alios pestilentes; in aliis esse pituitosos, et quasi redundantes; in aliis exsiccatos atque aridos: multaque sunt alia, quæ inter locum, et locum plurimum differunt. Athenis tenuæ cœlum, ex quo acutiores etiam putantur Attici: crassum Thebis; itaque pingues Thebani, et valentes. Tamen neque illud tenuæ cœlum efficiet, ut aut Zenonem quis, aut Arcesilam, aut Theophrastum audiat; neque crassum, ut Nemea potius, quam Isthmo victoriam petat. Dijunge longius. Quid enim? loci natura afferre potest, ut in porticu Pompeii potius, quam in campo ambulemus? te-

cum, quam cum alio? idibus potius, quam kalendis? Ut igitur ad quasdam res natura loci pertinet aliquid, ad quasdam autem nihil: sic affectio astrorum valeat, si vis, ad quasdam res; ad omnes certe non valebit. At enim, quoniam in naturis hominum dissimilitudines sunt, ut alios dulcia, alios subamara delectent; alii libidinosi, alii iracundi, aut crudeles, aut superbi sint; alii talibus vitiiis abhorreant: quoniam igitur, inquit, tantum natura a natura distat, quid mirum est, has dissimilitudines ex differentibus causis esse factas?

V. Hæc disserens, qua de re agatur, et in quo causa consistat, non videt. Non enim, si alii ad alia propensiores sint propter causas naturales et antecedentes, idcirco etiã nostrarum voluntatum atque appetitionum sunt causæ naturales et antecedentes. Nam nihil esset in nostra potestate, si res ita se haberet. Nunc vero fatemur, acuti hebetesne, valentes imbecilline simus, non esse id in nobis. Qui autem ex eo cogi putat, ne ut sedeamus quidem, aut ambulemus, voluntatis esse; is non videt, quæ quamque rem res consequatur. Ut enim et ingeniosi et tardi ita nascantur antecedentibus causis, itemque valentes, et imbecilli: non sequitur tamen, ut etiam sedere, et ambulare,

1 Abest rem.

et rem agere aliquam, principalibus causis definitum et constitutum sit. Stilponem, Megareum philosophum, acutum sane hominem, et probatum temporibus illis accepimus. Hunc scribunt ipsius familiares et ebriosum, et mulierosum fuisse; neque hoc scribunt vituperantes, sed potius ad laudem. Vitiosam enim naturam ab eo sic edomitam et compressam esse doctrina, ut nemo unquam vinolentum illum, nemo in eo libidinis vestigium viderit. Quid? Socratem nonne legimus quemadmodum notarit Zopyrus, physiognomon, qui se profitebatur hominum mores naturasque ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoscere? Stupidum esse Socratem dixit, et hardum; quod jugula concava non haberet; obstructas eas partes, et obturatas esse dicebat: addidit etiam, mulierosum; in quo Alcibiades cachinnum dicitur sustulisse. Sed hæc ex naturalibus causis vitia nasci possunt; exstirpari autem et funditus tolli, ut is ipse, qui ad ea propensus fuerit, a tantis vitiiis avocetur, non est id positum in naturalibus causis, sed in voluntate, studio, disciplina: quæ tollantur omnia, si vis et natura fati ex divinationis ratione firmabitur.

VI. Etenim, si est divinatio, qualibusnam a perceptis artis proficiscitur? percepta appello, quæ dicuntur Græce θεωρηματα. Non enim credo, nullo percepto aut ceteros artifices versari in suo mu-

nere, aut eos, qui divinatione utantur, futura prædicere. Sunt igitur astrologorum percepta hujusmodi. « Si quis, verbi causa, oriente Cunicula natus est, is in mari non morietur. » Vigila, Chryssippe, ne tuam causam, in qua tibi cum Diodoro, valente dialectico, magna luctatio est, deseras. Si enim verum est, quod ita connectitur, « Si quis oriente Cunicula natus est, in mari non morietur: » illud quoque verum est, « Si Fabius oriente Cunicula natus est, Fabius in mari non morietur. » Pugnant ergo hæc inter se, « Fabium oriente Cunicula natum esse, et in mari Fabium moriturum: » et quoniam certum in Fabio ponitur, ortum esse eum Cunicula oriente; hæc quoque pugnant, « et esse Fabium, et in mari moriturum. » Ergo hæc quoque conjunctio est ex repugnantibus, « Et est Fabius, et in mari Fabius morietur: » quod ¹ ut propositum est, ne fieri quidem potest. Ergo illud, « Morietur in mari Fabius, » ex eo genere est, quod fieri non potest. Omne igitur, quod falsum dicitur in futuro, id fieri non potest.

VII. At hoc, Chryssippe, minime vis; maximeque tibi de hoc ipso cum Diodoro certamen est. Ille enim id solum fieri posse dicit, quod aut sit verum, aut futurum sit verum: et, quidquid futurum sit,

¹ Davis. malebat, ut positum est.

id dicit fieri necesse esse, et, quidquid non sit futurum, id negat fieri posse. Tu, et quæ non sint futura, posse fieri dicis, ut frangi hanc gemmam, etiam si id nunquam futurum sit; neque necesse fuisse Cypselum regnare Corinthi, quanquam id millesimo ante anno Apollinis oraculo editum esset. At si ista comprobabis divina prædicta; et quæ falsa in futuris dicentur, ¹ in his habemus, ut ea fieri non possint: ut si dicatur, Africanum Carthagine potiturum; et si vere dicatur de futuro, idque ita futurum sit, dicas esse necessarium. Quæ est tota Diodori vobis inimica sententia. Etenim si illud vere connectitur, « Si oriente Cunicula natus es, in mari non morieris »; primumque quod in connexo, « Natus es oriente Cunicula », necessarium est (omnia enim vera in præteritis, necessaria sunt, ut Chryssippo placet, dissentienti a magistro Cleanthe, quia sunt immutabilia, nec in falsum e vero præterita possunt converti): si igitur, quod primum in connexo est, necessarium est; fit etiam, quod sequitur, necessarium. Quanquam hoc Chryssippo non videtur valere in omnibus. Sed tamen,

¹ Quidam conjiciunt, in his habebis, ut ea fieri non possint: ut si dicatur, Fabium in mari periturum; et si vere dicatur de futuro, idque ita futurum sit, ut, si dicatur Africanum Carthagine potiturum, dicas esse necessarium.

si naturalis est causa, cur in mari Fabius non moriatur, in mari Fabius mori non potest.

VIII. Hoc loco Chrysippus æstuans, falli sperat Chaldaeos, ceterosque divinos, neque eos usuros esse conjunctionibus, ut in sua percepta pronuntiant, « Si quis natus est oriente Canicula, is in mari non morietur : » sed potius ita dicant, « Non et natus est quis oriente Canicula, et is in mari morietur. » O licentiam jocularum ! ne ipse incidat in Diodorum, docet Chaldaeos, quo pacto eos exponere percepta oporteat. Quæro enim, si Chaldaei ita loquantur, ut negationes infinitarum conjunctionum potius, quam infinita connexa ponant : cur idem medici, cur geometræ, cur reliqui facere non possint ? Medicus in primis, quod erit ei perspectum in arte, non ita proponet : « Si cui venæ sic moventur, is habet febrem ; » sed potius illo modo, « Non ei venæ sic moventur, et febrem is non habet. » Itemque geometres non ita dicet, « In sphaera maximi orbis medii inter se dividuntur ; » sed potius illo modo, « Non et sunt in sphaera maximi orbis, et hi non medii inter se dividuntur. » Quid est, quod non possit isto modo ex connexo transferri ad conjunctionum negationem ? Et quidem aliis modis easdem res efferre possumus. Modo dixi, « In sphaera maximi orbis medii inter se dividuntur : » possum dicere, « Si in sphaera maximi orbis

erunt ; » possum dicere, « Quia in sphaera maximi orbis erunt. » Multa genera sunt enuntiandi, nec ullum distortius, quam hoc, quo Chrysippus sperat Chaldaeos contentos stoicorum causa fore. Illorum tamen nemo ita loquitur ; majus est enim, has contortiones orationis, quam signorum ortus obitusque perdiscere.

IX. Sed ad illam Diodori contentionem, quam *περι δυνάτων* appellant, revertamur ; in qua, quid valeat id, quod fieri possit, anquiritur. Placet igitur Diodoro, id solum fieri posse, quod aut verum sit, aut verum futurum sit. Qui locus attingit hanc questionem, nihil fieri, quod non necesse fuerit ; et, quidquid fieri possit, id aut esse jam, aut futurum esse ; nec magis commutari ex veris in falsa ea posse, quæ futura sunt, quam ea, quæ facta sunt ; sed in factis immutabilitatem apparere ; in futuris quibusdam, quia non apparent, ne inesse quidem videri : ut in eo, qui mortifero morbo urgeatur, verum sit, « Hic morietur hoc morbo ; » at hoc idem si vere dicatur in eo, in quo vis morbi tanta non appareat, nihilo minus futurum sit. Ita fit, ut commutatio ex vero in falsum ne in futuro quidem ulla fieri possit. Nam, « Morietur Scipio, » talem vim habet, ut, quanquam de futuro dicitur, tamen [ut] id non possit converti in falsum. De homine enim dicitur, cui necesse est mori. Sic si

diceretur, «Moriatur noctu in cubiculo suo Scipio vi oppressus;» vere diceretur: id enim fore diceretur, quod esset futurum; futurum autem fuisse, ex eo, quia factum est, intelligi debet. Nec magis erat verum, «Moriatur Scipio,» quam, «Moriatur illo modo;» nec ¹ minus necesse mori Scipionem, quam illo modo mori; nec magis immutabile ex vero in falsum, «Necatus est Scipio,» quam «Necabitur Scipio:» nec, quum hæc ita sint, est causa, cur Epicurus fatum extimescat, et ab atomis petat præsidium, easque de via deducat, et uno tempore suscipiat res duas inenodabiles; unam, ut sine causa fiat aliquid, ex quo existet, ut de nihilo quippiam fiat, quod nec ipsi, nec cuiquam physico placet; alteram, ut, quum duo individua per inanitatem ferantur, alterum e regione moveatur, alterum declinet. Licet enim Epicuro, concedenti, omne enuntiatum aut verum, aut falsum esse, non vereri, ne omnia fato fieri sit necesse. Non enim æternis causis, naturæ necessitate manantibus, verum est id, quod ita enuntiat: «Descendit in Academiam Carneades;» nec tamen sine causis; sed interest inter causas fortuito antegressas, et inter causas cohibentes in se efficientiam naturalem. Ita et semper verum fuit, «Moriatur

¹ Leg. magis. Davis. nec minus n. m. illo modo Sc., q. mori.

Epicurus, quum duo et septuaginta annos vixerit, archonte ¹ Pytharato;» neque tamen erant causæ fatales, cur ita accideret; sed, quod ita cecidisset, certe casurum, sicut cecidit, fuit. Nec ii, qui dicunt immutabilia esse, quæ futura sint, nec posse verum futurum converti in falsum, fati necessitatem confirmant, sed verborum vim interpretantur. At, qui introducunt causarum seriem sempiternam, ii mentem hominis voluntate libera spoliata necessitate fati devinciunt. Sed hæc hæctenus. Alia videamus.

X. Concludit enim Chrysippus hoc modo: «Si est motus sine causa, non omnis enuntiatio, quod ἀξίωμα dialectici appellant, aut vera, aut falsa erit. Causas enim efficientes quod non habebit, id nec verum, nec falsum erit. Omnis autem enuntiatio, aut vera, aut falsa est. Motus ergo sine causa nullus est. Quod si ita est, omnia, quæ fiunt, causis fiunt antegressis. Si id ita est, omnia² fato fiunt. Efficitur igitur, fato fieri, quæcumque fiant.» Hic primum si mihi libeat assentiri Epicuro, et negare omnem enuntiationem aut veram esse, aut falsam: eam plagam potius accipiam, quam fato omnia fieri comprobem. Illa enim sententia aliquid habet disputationis, hæc vero non est tolerabilis. Itaque

¹ Pitharato. ² Davis. ex ms. omnia, quæ fiunt, fato fiunt.

contendit omnes nervos Chrysippus, ut persuadeat, omne ἀξίωμα aut verum esse, aut falsum. Ut enim Epicurus veretur, ne, si hoc concesserit, concedendum sit, fato fieri, quaecumque fiant (si enim alterutrum ex aeternitate verum sit, esse id etiam certum; et, si certum, etiam necessarium: ita et necessitatem, et fatum confirmari putat): sic Chrysippus metuit, ne, si non obtinerit, omne, quod enuntietur, aut verum esse, aut falsum, non teneat, omnia ¹ fato fieri, et ex causis aeternis rerum futurarum. Sed Epicurus declinatione atomi vitari fati necessitatem putat. Itaque tertius quidam motus oritur extra pondus et plagam, quum declinat atomus intervallo minimo. Id appellat ἀέριστον. Quam declinationem sine causa fieri si minus verbis, re cogitur confiteri. Non enim atomus ab atomo pulsa declinat. Nam qui potest pelli alia ab alia, si gravitate feruntur ad perpendicularium corpora individua, rectis lineis, ut Epicuro placet? Sequitur enim, ut, si alia ab alia nunquam depellatur, ne contingat quidem alia aliam. Ex quo efficitur, ut jam si sit atomus, eaque declinet, declinare sine causa. Hanc rationem Epicurus induxit ob eam rem, quod veritus est, ne, si semper atomus gravitate ferretur naturali ac necessaria,

¹ Fieri possint.

nihil liberum nobis esset, quum ita moveretur animus, ut atomorum motu cogeretur. Hinc Democritus, auctor atomorum, accipere maluit, necessitate omnia fieri, quam a corporibus individuis naturales motus avellere.

XI. Acutius Carneades, qui docebat, posse Epicureos suam causam sine hac commentitia declinatione defendere. Nam quum doceret, esse posse quemdam animi motum voluntarium, id fuit defendi melius, quam introducere declinationem, cujus praesertim causam reperire non ¹ possunt. Quo defenso, facile Chrysippo possent resistere. Quum enim concessissent, motum nullum esse sine causa, non concederet, omnia, quae fierent, fieri causis antecedentibus. Voluntatis enim nostrae non esse causas externas et antecedentes. Communi igitur consuetudine sermonis abutimur, quum ita dicimus, velle aliquid quempiam, aut nolle sine causa. Ita enim dicimus, sine causa, ut dicamus, sine externa et antecedenti causa, non sine aliqua. Ut quum vas inane dicimus, non ita loquimur, ut physici, quibus inane esse nihil placet; sed ita, ut, verbi causa, sine aqua, sine vino, sine oleo vas esse dicamus: sic, quum sine causa animum moveri dicimus, sine antecedente et externa causa

¹ Ernest. possent.

moveri, non omnino sine causa, dicimus. De ipsa atomo dici potest, quum per inane moveatur gravitate et pondere, sine causa moveri, quia nulla causa accedat extrinsecus. Rursus autem, ¹ ne omnes a physicis irrideamur, si dicamus, quidquam fieri sine causa, distinguendum est, et ita dicendum, ipsius individui hanc esse naturam, ut pondere et gravitate moveatur, eamque ipsam esse causam, cur ita feratur. Similiter ad animorum motus voluntarios non est requirenda externa causa. Motus enim voluntarius eam naturam in se ipse continet, ut sit in nostra potestate, nobisque pareat; nec id sine causa. Ejus enim rei causa, ipsa natura est. Quod quum ita sit, quid est, cur non omnis pronuntiatio aut vera, aut falsa sit, nisi concesserimus fato fieri quaecumque fiant?

XII. Quia futura vera, inquit, non possunt esse ea, quæ causas, cur futura sint, non habent, habeant igitur causas necesse est, ut ea, quæ vera sunt, ita quum evenerint, fato evenerint. Confectum negotium, si quidem tibi concedendum est, aut fato omnia fieri; aut quidquam posse fieri sine causa. An aliter hæc enuntiatio vera esse non potest, « Capiet Numantiam Scipio, » nisi ex æterni-

¹ Brem. conj. ne omnes nos physici irrideant. Perplexus locus.

tate causa causam serens hoc erit effectura? an hoc falsum potuisset esse, si esset sexcentis sæculis ante dictum? Et, si tum non esset vera hæc enuntiatio, « Capiet Numantiam Scipio; » ne illa quidem eversa vera est hæc enuntiatio, « ¹ Capiet Numantiam Scipio. » Potest igitur quidquam factum esse, quod non verum fuerit futurum esse? Nam ut præterita ea vera dicimus, quorum superiore tempore vera ² fuerit instantia: sic futura, quorum consequenti tempore vera ³ erit instantia, ea vera dicemus. Nec, si omne enuntiatum aut verum, aut falsum est, sequitur illico, esse causas immutabiles, easque æternas, quæ prohibeant quidquam secus cadere, atque casurum sit. Fortuitæ sunt causæ, quæ efficiant, ut vere dicantur, quæ ita dicentur, « Veniet Cato in senatum, » non inclusæ in rerum natura, atque mundo. Et tamen tam est immutabile venturum, quom est verum, quam venisse; nec ob eam causam fatum, aut necessitas extimescenda est. Etenim erit confiteri necesse: si hæc enuntiatio, « Veniet in Tusculanum Hortensius, » ⁴ vera non est; sequitur, ut ⁵ falsa sit. Quorum isti neutrum volunt; quod fieri non potest.

Nec nos impediēt illa ignava ratio, quæ dicitur.

¹ Lambin. recte emendat, Cepit. ² Fuerint. ³ Erunt. ⁴ Verum. ⁵ Falsum.

Appellatur enim quidam a philosophis ἀρχὸς λόγος, cui si pareamus, nihil omnino agamus in vita. Sic enim interrogant : « Si fatum tibi est, ex hoc morbo convalescere; sive medicum adhibueris, sive non, convalesces. Item, si fatum tibi est, ex hoc morbo non convalescere; sive tu medicum adhibueris, sive non, non convalesces. Et alterutrum fatum est. Medicum ergo adhibere nihil atinet. »

XIII. Recte genus hoc interrogationis ignavum atque iners nominatum est, quod eadem ratione omnis e vita tolletur actio. Licet etiam immutare, ut fati nomen ne adjungas, et eandem tamen tenas sententiam, hoc modo : « Si ex aeternitate verum hoc fuit, Ex isto morbo convalesces; sive adhibueris medicam, sive non, convalesces. Itemque, si ex aeternitate hoc falsum fuit, Ex isto morbo [non] convalesces; sive adhibueris medicum, sive non adhibueris, non convalesces : » deinde cetera. Hæc ratio a Chrysippo reprehenditur. Quædam enim sunt, inquit, in rebus simplicia, quædam copulata. Simplex est, « Morietur eo die Socrates. » Huic, sive quid fecerit, sive non fecerit, finitus est moriendi dies. At si ita fatum sit, « Nascetur OEdipus Laio : » non poterit dici, sive fuerit Laius cum muliere, sive non fuerit; copulata enim res est, et confatalis : sic enim appellat, quia ita fatum sit, et concubiturum cum uxore Laium, et ex

ea OEdipum procreaturum. Ut si esset dictum, « Luctabitur Olympii Milo; » et referret aliquis, « Ergo, sive habuerit adversarium, sive non habuerit, luctabitur : » erraret. Est enim copulatum, « Luctabitur, » quia sine adversario nulla luctatio est. Omnes igitur istius generis captiones eodem modo refelluntur. Sive tu adhibueris medicum, sive non adhibueris, convalesces : captiosum. Tam enim est fatale, medicum adhibere, quam convalescere. Hæc, ut dixi, confatalia ille appellat.

XIV. Carneades hoc totum genus non probabat, et nimis inconsiderate concludi hanc rationem putabat. Itaque premebat alio modo, nec ullam adhibebat calumniam; cujus erat hæc conclusio : « Si omnia antecedentibus causis fiunt, omnia naturali colligatione conserte contextequæ fiunt. Quod si ita est, omnia necessitas efficit. Id si verum est, nihil est in nostra potestate. Est autem aliquid in nostra potestate. At, si omnia fato fiunt, omnia causis antecedentibus fiunt. Non igitur fato fiunt, quæcumque fiunt. » Hæc arctius adstringi ratio non potest. Nam si quis velit idem referre, atque ita dicere : « Si omne futurum ex aeternitate verum est, ut ita certe eveniat, quemadmodum sit futurum, omnia necesse est colligatione naturali conserte contextequæ fieri : » nihil dicat. Multum enim differt, utrum causa natura-

lis ex æternitate futura vera efficiat, an etiam sine æternitate naturali, futura quæ sint, ea vera esse possint intelligi. Itaque dicebat Carneades, ne Apollinem quidem futura posse dicere, nisi ea, quorum causas natura ita contineret, ut ea fieri necesse esset. Quid enim spectans deus ipse diceret, Marcellum eum, qui ter consul fuit, in mari esse periturum? Erat quidem hoc verum ex æternitate, sed causas id efficientes non habebat. Ita ne præterita quidem ea, quorum nulla signa, tanquam vestigia, exstarent, Apollini nota esse censebat: quo minus futura. Causis enim efficientibus quamque rem cognitis, posse denique sciri quid futurum esset. Ergo nec de OEdipode potuisse Apollinem prædicere, nullis in rerum natura causis præpositis, cur ab eo patrem interfici necesse esset; nec quidquam hujusmodi.

XV. Quocirca si stoicis, qui omnia fato fieri dicunt, consentaneum est, hujusmodi oracula, ceteraque, quæ ad divinationem pertinent, comprobare; iis autem, qui, quæ futura sunt, ea vera esse ex æternitate dicunt, non idem dicendum est: vide, ne non eadem sit illorum causa et stoicorum. Hi enim urgentur angustius; illorum ratio soluta ac libera est. Quod si concedatur, nihil posse evenire, nisi causa antecedente: quid

proficiatur, si ea causa non ex æternis causis apta dicatur? Causa autem ea est, quæ id efficit, cujus est causa; ut vulnus, mortis; cruditas, morbi; ignis, ardoris. Itaque non sic causa intelligi debet, ut, quod cuique antecedit, id ei causa sit, sed quod cuique efficienter antecedit; nec, quod in campum descenderim, id fuisse causæ, cur pila luderem; nec Hecubam causam interitus fuisse Trojanis, quod Alexandrum genuerit; nec Tyn-dareum Agamemnoni, quod Clytæmnestram. Hoc enim modo viator quoque bene vestitus causa grassatori fuisse dicitur, cur ab eo spoliaretur. Ex hoc genere illud est Ennii,

Utinam ne in memore Pelio securibus
Causa cecidisset abiegnâ ad terram trabes!

Licit vel altius, Utinam ne in Pelio nata ulla
unquam esset arbor! etiam supra, Utinam ne
esset mons ullus Pelius! Similiterque superiora
repetentem regredi infinite licet.

Neve inde navis inchoandæ exordium
Cœpisset.

Quorsum hæc præterita? quia sequitur illud,

Nam nunquam hera errans mea, domo efferret pedem
Medea, animo ægro, amore sævo saucia;

non, ut eæ res causam afferrent amoris.

XVI. Interesse autem aiunt, utrum ejusmodi quid sit, sine quo aliquid effici non posset, an ejusmodi, quo aliquid effici necesse sit. Nulla igitur earum est causa, quoniam nulla eam rem sua vi efficit, cujus dicitur causa; nec id, sine quo quippiam non fit, causa est; sed id, quod quum accessit, id, cujus causa est, efficit necessario. Nondum enim ulcerato serpentis morsu Philocteta, quæ causa in rerum natura continebatur, fore, ut is in insula Lemno linqueretur? Post autem causa fuit propior, et cum exitu junctior. Ratio igitur eventus aperit causam. Sed ex æternitate vera fuit hæc enuntiatio: « Relinquetur in insula Philoctetes »; nec hoc ex vero in falsum poterat converti. Necesse est enim in rebus contrariis duabus (contraria autem hoc loco ea dico, quorum alterum ait quid, alterum negat), ex his igitur necesse est, ¹ invito Epicuro, alterum verum esse, alterum falsum: ut, « Sauciabitur Philocteta », omnibus ante sæculis verum fuit; « Non sauciabitur », falsum. Nisi forte volumus Epicu-

¹ *Brem. delendum censet, invito Epicuro. Frustra.*

reorum opinionem sequi, qui tales enuntiationes nec veras, nec falsas esse dicunt; aut, quum id pudet, illud tamen dicunt, quod est impudentius, veras esse ex contrariis disjunctiones; sed quæ in his enuntiata essent, eorum neutrum esse verum. O admirabilem licentiam, et miserabilem inscientiam disserendi! Si enim aliquid in eloquendo nec verum, nec falsum est, certe id verum non est. Quod autem verum non est, qui potest non falsum esse? aut quod falsum non est, qui potest non verum esse? Tenebitur ¹ ergo id, quod a Chrysippo defenditur, omnem enuntiationem aut veram, aut falsam esse: ratio ipsa coget, et ex æternitate quædam vera esse, et ea non esse nexa causis æternis, et a fati necessitate esse libera.

XVII. Ac mihi quidem videtur, quum duæ sententiæ fuissent veterum philosophorum, una eorum, qui censerent omnia ita fato fieri, ut id factum vim necessitatis afferret, in qua sententia Democritus, Heraclitus, Empedocles, Aristoteles fuit; altera eorum, quibus viderentur sine ullo fato esse animorum motus voluntarii: Chrysippus, tanquam arbiter honorarius, medium ferire voluisse; sed applicat se ad eos potius, qui necessitate motus animos liberatos volunt. Dum autem

¹ *Abest ergo.*

verbis utitur suis, delabitur in eas difficultates, ut necessitatem fati confirmet invitus. Atque hoc, si placet, quale sit videamus in assensionibus, quas prima oratione tractavi. Eas enim veteres illi, quibus omnia fato fieri videbantur, vi effici, et necessitate dicebant. Qui autem ab his dissentiebant, fato assensiones liberabant, negabantque, fato assensionibus adhibito, necessitatem ab his posse removeri; sique ita disserebant: Si omnia fato fiunt, omnia fiunt causa antecedente: et, si appetitus; illa etiam, quæ appetitum sequuntur. Ergo etiam assensiones. At, si causa appetitus non est sita in nobis, ne ipse quidem appetitus est in nostra potestate. Quod si ita est, ne illa quidem, quæ appetitu efficiuntur, sunt sita in nobis. Non sunt igitur neque assensiones, neque actiones in nostra potestate. Ex quo efficitur, ut nec laudationes justæ sint, nec vituperationes, nec honores, nec supplicia. Quod quum vitiosum sit, probabiliter concludi putant, non omnia fato fieri, quæcumque fiant.

XVIII. Chrysippus autem quum et necessitatem improbaret, et nihil vellet sine præpositis causis evenire, causarum genera distinguit, ut et necessitatem effugiat, et retineat fatum. Causarum enim, inquit, aliæ sunt perfectæ et principales; aliæ adjuvantes et proximæ. Quamobrem quum

dicimus, omnia fato fieri causis antecedentibus, non hoc intelligi volumus, causis perfectis et principalibus, sed causis adjuvantibus antecedentibus et proximis. Itaque illi rationi, quam paulo ante conclusi, sic occurrit: Si omnia fato fiant, sequi illud quidem, ut omnia causis fiant antepositis; verum non principalibus et perfectis, sed adjuvantibus et proximis. Quæ si ipsæ non sint in nostra potestate, non sequitur, ut ne appetitus quidem sit in nostra potestate. At hoc sequeretur, si omnia perfectis et principalibus causis fieri diceremus, ut, quum hæ causæ non essent in nostra potestate, ne ille quidem esset in nostra potestate. Quamobrem qui ita fatum introducunt, ut necessitatem adjungant, in eos valebit illa conclusio. Qui autem causas antecedentes non dicunt perfectas, neque principales, in eos nihil valebit. Quod enim dicantur assensiones fieri causis antepositis, id quale sit, facile a se explicari putant. Nam quanquam assensio non possit fieri nisi comota viso: tamen quum id visum proximam causam habeat, non principalem, hanc habet rationem (ut Chrysippus vult), quam dudum diximus, non, ut illa quidem fieri possit nulla vi extrinsecus excitata (necesse est enim, assensionem

Rectius, putat, ut Bremius vidit.

viso commoveri), sed revertitur ad cylindrum, et ad turbinem suum, quæ moveri incipere, nisi pulsa, non possunt; id autem quum accidit, suapte natura, quod superest, et cylindrum volvi, et versari turbinem putat.

XIX. Ut igitur, qui protrusit cylindrum, dedit ei principium motionis, volubilitatem autem non dedit: sic visum objectum imprimet illud quidem, et quasi signabit in animo suam speciem, sed assensio nostra erit in potestate; eaque, quemadmodum in cylindro dictum est, extrinsecus pulsa, quod reliquum est, suapte vi et natura movebitur. Quod si reliqua res efficeretur sine causa antecedente, falsum esset, omnia fato fieri: sin omnibus, quæcumque fiunt, verisimile est causam antecedere; quid afferri poterit, cur non omnia fato fieri fatendum sit, modo intelligatur, quæ sit causarum distinctio ac dissimilitudo. Hæc quum ita sint a Chrysippo explicata, si illi, qui negant assensiones fato fieri, fateantur tamen, eas non sine viso antecedente fieri; alia ratio est. Sed si concedunt, anteire visa, nec tamen fato fieri assensiones, quod proxima illa et continens causa non moveat assensionem: vide, ne idem

* Mendosus videtur locus. Legendum forte cum Evemio, non fateantur tamen, eas nonnisi viso antecedente fieri.

dicant. Neque enim Chrysippus concedens, assensionis proximam et continentem causam esse in viso positam, neque eam causam ad assentiendum necessariam esse, concedet, ut, si omnia fato fiant, omnia fiant causis antecedentibus et necessariis; itemque illi, qui ab hoc dissentiant, confitentes non fieri assensiones sine præcursione visorum, dicent, si omnia fato fierent ejusmodi, ut nihil fieret, nisi prægressione causæ, confitendum esse, fato fieri omnia: ex quo facile intellectu est, quoniam utrique, patefacta atque explicata sententia sua, ad eundem exitum veniant, verbis eos, non re dissidere. Omninoque quum hæc sit distinctio, ut quibusdam in rebus vere dici possit, non hæc causæ antegresse sint, non esse in nostra potestate, quin illa eveniant, quorum causæ fuerint; quibusdam autem in rebus, causis antegressis, in nostra tamen esse potestate, ut aliud aliter eveniat: hanc distinctionem utrique approbant; sed alteri censent, quibus in rebus quum causæ antecesserint, ita, ut non sit in nostra potestate, ut aliter illa eveniant, illas fato fieri; quæ autem in nostra potestate sint, ab his fatum abesse.***

XX. Hoc modo hanc causam disceptari oportet,

* Multi delent neque.

non ab atomis errantibus, et de via declinantibus præsidium petere. Declinat, inquit, atomus. Primum cur? Aliam quamdam vim motus habebunt a Democrito impulsiois, quam plagam ille appellat; a te, Epicure, gravitatis et ponderis. Quæ ergo nova causa in natura est, quæ declinet atomum? aut nam sortiuntur inter se, quæ declinet, quæ non? aut cur minime declinent intervallo, majore non? aut cur declinent uno minimo, non declinent duobus, aut tribus? Optare hoc quidem est, non disputare. Nam neque extrinsecus impulsam atomum loco moveri, et declinare dicis; neque in illo inani, per quod feratur atomus, quidquam fuisse causæ, cur ea non e regione ferretur: nec in ipsa atomo mutationis aliquid factum est, quamobrem naturalem sui ponderis motum non teneret. Ita quum attulisset nullam causam, quæ istam declinationem efficeret: tamen aliquid sibi dicere videtur; quum id dicat, quod omnium mentes aspernentur ac respuant. Nec vero quisquam magis confirmare mihi videtur non modo fatum, verum etiam necessitatem, et vim omnium rerum, sustulisseque motus animi voluntarios, quam hic, qui aliter obsistere fato fatetur se non potuisse, nisi ad has commentitias declinationes confugisset. Nam, ut essent atomi, quas quidem esse, mihi probari nullo modo potest:

tamen declinationes istæ nunquam explicarentur. Nam si atomis, ut gravitate ferantur, tributum est necessitate naturæ, quod omne pondus nulla re impediende moveatur et feratur necesse est: illud quoque necesse est, declinare quibusdam atomis, vel, si volunt, omnibus naturaliter ***

Multa desunt.

INDEX
PHILOSOPHICORUM
QUÆ IN HOC VOLUMINE

CONTINENTUR.

DE NATURA DEORUM.

| | |
|-----------|--------|
| Liber I. | Pag. 1 |
| Lib. II. | 68 |
| Lib. III. | 161 |

DE DIVINATIONE.

| | |
|----------|-----|
| Liber I. | 214 |
| Lib. II. | 294 |
| DE FATO. | 383 |

EXPLICIT TOMUS XVI.

